

— *Meerssetnan, G., O. P.*, Laurentii Pignon Catalogi et Chronica (Idem), 193-194 — *Greven, J.*, Die KOhier Karthause mid die Anfänge der katholischen Reform in Deutschland (Ceijssens), IV4-195. — *Dufiber, P., O. P.*, Compendium Grammaticae Linguae Hebraicae Biblicae (Vargha), 195-197. — *Mitterer, A.*, Wesensartwandel and Artensystem der physikalischen Koerpcenvelt (Schuler), 197-198. — *Spieler, J.*, Lexikon der Padagogik der Gegenwart (Schilling), 199-200. — *Georgesco, J.*, La Presse périodique en Roumanie (Balint), 200-201. — *Breton, V. M.*, Médiation de Jésus-Christ (Heerinckx), 201-202. — *Englebert, O.*, Vie et Conversion d'Eve Lavallière (Idem), 202. — *Cadorna, C.*, Vecchi Mistici inglesi (Idem), 202. — *Noordeloos, P.*, De plaats der marteling en begrafenis van Alkmaar's Martelaren (Ceijssens), 203. — *Gaëll, R.*, Carillons de Lourdes (Heerincks), 203. — *Balducci, A.*, L'Eucarestia perenne rinnovamento della Redenzione (Idem), 203 . . . 177 203

Ch r o n i c a .

Collegium S. Antonii, 204. — Gradus academici, 205. — Notitiae personales, 205 204-205
 Elenchus Librorum ad nos missorum..... 206-212

ANTONIA IXIU VI

quater in anno prodit fasciculis paginarum circa 120. Pretium annuae subscriptionis in Italia est lib. ital. 25, extra Italiam lib. ital. 35 praevis solvendae

Pretium singulorum voluminum annualium iam editorum est ubique lib. ital. 35; insuper accedunt expensae postales.

Fasciculi singuli non venduntur separatim. Singulorum vero articulorum pauca quaedam exemplaria disponibilia sunt.

Libri et extracta in nostro Periodico recensenda in duplici exemplari mittantur.

Collaborators nostri Periodici omnes Lectores Ordinis alii-que competentes admittuntur invitanturque.

Qui ex collaboratoribus articulum notabilem contulerint, Periodici integrum annum, in quo editus fuerit, gratis accipient, insuper viginti quinque exemplaria proprii laboris.

Manuscripta in Periodicum inserenda, libri recensendi, Periodica quae mutuo dantur, et generatim ea quae directionem tangunt, mittenda sunt *Alia Direzione ckl'Antoniano* ^ Roma 24, Via Merulana 124; quae vero administrationem respiciunt, mittantur *AIFAmministrazione (UWAntoniano* sub praedicta directione,

DE DISTINCTIONE OBLATORUM SECUNDUM AQUINATEM

Disseruimus anno elapso *De dono Deo in sacrificio offerendo* (cf. *Inion.*, XI, 1936, 117-134). In sequentibus autem illi dissertationi quaedam addere cupimus, supplementi gratia, ut notiones circa rem tanti momenti clariores et accuratiores fiant. Ideo in praesenti articulo de distinctione oblatarum secundum Aquinatem agemus.

I.

In nomine generico **oblationis** comprehenduntur omnes res materiales quae a fidelibus, religionis intuitu, Deo et Ecclesiae donantur. S. Thomas eas in sacrificia et simpliciter oblata divisit, atque divisionis rationem ita determinavit, ut oblata sacrificalia ad aliquid sacrum faciendum consumi, simpliciter oblata vero integra ad religionis fines destinari diceret (*). Haec oblata, ratione finis ad quem immediate applicantur, iterum in duas categorias distribuuntur: *d*) ea quae sine mutatione suae naturae **proprie ad divinum cultum deputantur**, sicut flores, vel cerei accensi qui, devotionis causa, coram Sanctissimo collocantur, vel incensa quae cremantur, et similia; — *â*) ea quae ad **usus ministrorum expenduntur**, vel generatim ea omnia quae ad externas necessitates Ecclesiae donantur, sicut dicuntur offerri **denarii vel panes in altari** (2).^(*)

(*) 5. M., II, II, 86, 1.

(*) 5. /A., II, II, 85, 3, ad 3.

i. Haec simpliciter oblata in se sunt dona materialia, et secundum suam naturam ad fines in se materiales destinantur. *Hoc quoad posteriorem speciem patet, quoniam de necessitatibus externis et materialibus Ecclesiae agitur* Sed etiam de altera dubitari nequit. Nam *flores et cerei*, quos exempli causa citavi, ex natura sua ad materialem ornatum altaris spectant; et incensa hoc naturaliter habent ut suavem odorem exhalent. Verumtamen in utrisque oblatis materialis finis operis subjective, per finem operantis, ad religionem ordinatur. Donationes externae fiunt propter Deum; atque *flores et cerei accensi* in altari collocantur et incensa cremantur. ut devotionem internam donantis extrinsecus figurent. Ideo illi actus oblationis, licet in se sint materiales, extrinsecus ad religionem pertinent: et res oblatae sensibiles per denominationem externam religiosae vocantur. Immo sensu largo etiam sacrae, et Deo donatae appellantur, in quantum ab usu profano remotae ad fines divini cultus applicantur: sed proprietas earum immediata penes hominem manet, uti patet, quoniam solum indirecte Deo donantur.

Itaque, si psychologice inspiciantur. utriusque speciei oblationes solum imperative a virtute religionis procedunt (°), et in se, secundum rationem suae speciei, non sunt proprie actus cultus divini, sed subjective solum ad eum diriguntur: quapropter potius media appellanda sunt quibus cultus Dei foveatur et exerceatur. Nam actus in se materiales numquam directe ad Deum qui est finis religionis, ordinari queunt.

Ab utrisque simpliciter oblati s a c r i f i c i u m essentialiter distinguitur. Rationem distinctionis ab Aquinate supra indicatam hic omittam, ut prius sacrificii naturam aliunde ostendam. Hanc S. Thomas aptissime descripsit quod oblationem sacrificalem actum **elicitem religionis** vocavit,

(°) 5. /A., II, II, 81, 1, ad 1: « Religio habet duplices actus: quosdam quidem proprios et immediatos quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum, sicut sacrificare, adorare, et alia similiter. Alios autem actus habet quos producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinans eas ad divinam reverentiam; quia scilicet virtus ad quam pertinet finis, imperat virtutibus ad quas pertinent ea quae sunt ad finem ». Cf. Ludovicus Billot, S. I., *De Ecclesiae sacramentis*, Romae, 1896, Vol. I, 531.

— id est. actum qui proprie et directe a virtute religionis efficitur, et per se et immediate ad finem religionis dirigitur (*). Per hanc definitionem differentiae quibus sacrificium ab oblatis separatur, bene illustrantur. Haec indirecte, illud directe a religione procedit; haec mediate, illud immediate ad excellentiam Dei honorandam pertinet: haec in se materialia sunt, illud in se spirituale est. Haec ultima nota maxime nobis consideranda est.

2. **Illae pertinent ad religionem elicentem quae secundum rationem suae speciei pertinent ad reverentiam Dei** (2) Reverentia Dei est actus in se spiritualis, sicut Deus ad quem ut finem dirigitur, spiritualis est. Nam finis et ea quae sunt ad finem, proportionata sint oportet. Propter hoc dicitur *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (3). Itaque ea quae elicitive a religione procedunt, spiritualis naturae esse debent. Potest autem aliquid esse in se spirituale dupliciter vel in se et per se, vel in se et per aliud. In se et per se spirituales sunt omnes actus qui in mente hominis invisibiliter fiunt; et per eos primario Deus colitur (4). Externa autem et sensibilia, si ad cultum Dei assumuntur, per suam relationem ad spiritum Deum colentem in tantum spiritualia

(*) 5^a th., II, II, 81. 1, ad 1; — item HI. Sent., dist. 9. qu. 1, art. 1, sol. 2, ad 1: « Offerre sacrificium est tantum de illis quae pertinent ad latriani elicitive»; — item: 5^a th., II, II, 85, 3: « Sunt quidam actus qui non habent ex alio laudem nisi quia fiunt propter reverentiam divinam; et isti actus proprie sacrificia dicuntur, et pertinent ad virtutem religionis ». Actus imperati nempe laudem habent etiam ex iis virtutibus quibus virtus religionis imperat. Ad dictum recte intelligendum notetur oportet ibi, sicut in tota quaestione 85, magistrum de solis oblationibus externis agere. Cf. Suarez. *Opera omnia*, Parisiis, 1856-61; XXI. 612, qui contra eum exceptionem opponit, multos tales actus esse, qui tamen non sint sacrificia, sicut vota, divinas laudes, genuflexiones, et similia.

(*) 5. th., II, II, 81, 4, ad 2.

(3) *Io.* 4, 24.

(4) *C. Gent.*, III, 119: « Quia per interiores actus directe in Deum tendimus, ideo interioribus actibus proprie Deum colimus. Sed tamen et exteriores actus ad cultum Dei pertinent, in quantum per huiusmodi actus mens nostra elevatur in Deum ».

fiunt, in quantum per spiritum ad finem religiosum adhibentur⁽¹⁾.

ideo oblata quae mediate in Deum ordinantur, sicut per denominationem externam religiosa vocantur, uti dictum est, eodem modo spiritualia appellari queunt. Nam interna spiritualia mediate figurant, — mediate inquam, quoniam materialis eorum natura et finis operis in se intenduntur, ut per ea finis subiectivus spiritualis obtineatur. Aliter in sacrificio externo. Hoc, quoniam elicitive a religione procedit, per spiritum qui in sensibilibus spiritualia directe operatur, a sacrificio interno quod significat, ipsam naturam spiritualem participat. Quae participatio ita fit, ut externa ad instar materiae interna ut formam in se suscipiant, et per ea ad esse sacrificale determinentur. < Ad instar materiae >, dixi, quia materialium et spiritualium unio non est physica, sed moralis. Per eam efficitur, ut res et actiones externae, licet suum esse physicum retineant, in actu sacrificali non secundum suum esse materiale, sed ut merae formae repraesentativae entitatis spiritualis considerentur et intendantur. Ergo moraliter naturam spiritualem acquirunt.

Haec per orationem externam optime illustrantur. Prout oratio effectivus mentis in Deum motus vocatur, entitative tota spiritualis est. In precibus externis vero, quae actus eliciti religionis dicendae sunt, interna entitas spiritualis cum sonis sensibilibus ita communicatur, ut moraliter unum fiant, atque voces audibiles iam non secundum suum esse materiale accipiuntur, sed secundum quod spiritualia directe sonant. Ideo in iis spiritus et lingua una actione Deum laudant, mens quidem per se et directe, lingua vero indirecte per mentem, quoniam cum ea unum principium agens facta est (2), eiusque motibus spiritualibus formas externas praebet. Itaque preces sensibiles participative spirituales vocantur, quia in iis directe

(1) 5. *Ih.* III, 60, 4, ad 2: « Res sensibiles, ut in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum, vel ad regnum Dei, sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit ».

‡ 5. *I.A.*, III, 74, 2, ad 3: « Membra corporis non sunt principia actuum, sed solum organa; unde et comparantur ad animam moventem sicut servus qui agitur et non agit ».

spiritus orat. Eodem modo (') in sacrificio externo spiritus; qui intrinsecus se offert, eundem numero actum oblationis extrinsecus operatur. Actio interna a ritibus non separata concipitur, sed in iis ipsis agitur et ostenditur, ita ut ea quae extrinsecus fiunt, propter spiritum in iis agentem participative spiritualia evadant.

Itaque sacrificium in hoc maxime ab oblatis differt, quod haec in se sunt media materialia, quibus divinae reverentiae actus interni extrinsecus indicantur, illud vero in se est actus spiritualis per quem, in formis sensibilibus, Deus directe colitur.

Per hoc etiam clarius patescit quomodo terminus signi in illis intellegatur, qui aliter oblati, aliter sacrificio congruit quoniam ratio eius in utrisque diversa est. Externa internorum signa vocantur, quia ea ostendunt (2). Et cui ostendunt? Certe non Deo, qui externorum non eget ut interna videat (5). Signa sunt ipsi offerenti, ut, per interna extrinsecus acta, eius intentio in Deum certius et firmiter dirigatur, et affectus vehementius excitetur et efficacius iuvetur (4); vel signa sunt etiam aliis, in cultu publico, ut ad easdem intentiones et affectus inducantur. Ostendunt autem simpliciter oblata spiritualia indirecte per suum esse materiale, quoniam solum extrinsecus et mediate ad fines religiosas diriguntur, uti dictum est. In sacrificio vero, quippe quod in se sit actus cultus divini, externa sunt signum directum internorum, quae in iis immediate aguntur et repraesentantur. Ideo simpliciter oblata

(') Cf. S. Aug., *De Civ. Dei*, X, 19; Migne, PL. 41, 297.

‡ < Signum est res praeter speciem quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire>; S. Aug., *De doct. Christiana*, II, 1; *Florilegium Patristicum*, ed. H. Vogels, Bonnae 1930. 20.

(3) Josef Scheeben, *Handbuch der katholischen Dogmatik* Freiburg i. Br. 1882, III, 405, sacrificium externum pignus vocat quo sacrificans oblationem suam internam Deo obliget!

(4) C. Gent., III, 119: « Exercentur ab hominibus quaedam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos provocent in divina...; non fiunt quasi Deus his indigeat qui omnia novit... sed ea propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum et affectus accendatur». Cf. *th.*, II, II. 84, 2; 91, 1.

recte res et signa (') appellantur; sacrificium vero externum est solum signum.

3. Ab hac expositione naturae sacrificii recentiores theologi plerique dissentiunt; quod mirum non est, quoniam alias praemissas sustentant atque in dictis supponuntur. Nam rem sensibilem dicunt in sacrificio directe et per se offerri, ut per eam mediate interna significantur (2). Ideo consequenter sacrificii opus externum (rem et signum) appellant (3); et sacrificium externum mere symbolicum (4). atque actum imperatum religionis esse affirmant (5).

Cum his praemissis Kramp, inter oblata et sacrificium comparatione facta, in utrisque dicit rem sensibilem Deo offerri, ut idea fundamentalis religionis, id est, interna hominis ad Deum oblatio et consecratio extrinsecus figuretur. Utraque igitur eundem finem habere, atque easdem ideas internas significare; differre autem in hoc quod oblata sacrificalia in oblatione physice immutentur (6), atque internam oblationem per ipsam immutationem materialem intensius et plenius quam simpliciter oblata expriment (7). Unica igitur proprietas distinctiva sacrificii, secundum hos theologos, consistit materialiter in physica immolatione rei oblatae, et formaliter in evidentiore expressione symbolismi spiritualis: quoad virtutem religiosam vero illud ab oblatiis nihil differt.

(*) Formula ista ex opere < *Mysterium fides* », Parisiis, 1921, P. Mauriti de la Taille, S. I., assumpta est, qui M. Cani. O. P., *De locis theologicis*, XII, 12, exemplum secutus eam a re sacramentaria ad sacrificium transtulit, ut res veram donationem, et signum formam repraesentativam donationis significaret; l. c. 9.

(') Josef Kramp, S. I., *Die Opferanschauungen der römischen Messialurgie*, Regensburg, 1920, 24, obiectum materiale sacrificii esse dicit donum sensibile, et in hoc ut symbolo personam offerentis.

(3) De la Taille, l. c. 9.

(*) Ioannes Bapt. Franzelin, *De ss. Eucharistiae sacramento et sacrificio*, Romae. 1868, 291 ss; Scheeben, l. c. 398; Ioannes Bapt. Heinrich-Constantin Gutberlet, *Dogmatische Théologie*, Mainz, 1901, IX, 807.

(s) *Collegii Sahnalicensis Cursus theologicus*, Parisiis. 1882, XVIII, 760: < Est sacrificium opus externum imperatum a virtute religionis >

(6) Kramp, l. c. 19 sq.

(') L. c. 41.

Post ea quae supra discussa sunt, facile aliquis mirabitur quod hanc S. Thomae cogitationem esse dicant. Quapropter effata eius quibus interpretationem suam firmare conant (r''), diligenter examinanda sunt, ut videatur quid magister vere sentiat. Hoc vero iam aliquam suspicionem movere debet quod illi verba Aquinatis quibus sacrificium actum elicatum religionis appellat, silentio praetereunt. An per ea nihil de natura sacrificii enuntiantur?

II.

In *S. th.* II, II. 85. 3 S. Thomas quaerit an sacrificium specialis actus virtutis sit. In 3. obiectione opponitur sacrificium esse videri quod Deo exhibeatur; multa vero Deo exhiberi, scilicet devotionem, orationem, decimas, primitias, oblationes et holocausta, quae non sint eiusdem naturae actus. Quoad oblationes et sacrificium magister opponenti ita respondit; < *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur et benedicitur* (2). *Et hoc ipsum nomen sonat, nam sacrificium dicitur*

(*) Communiter allegantur duo effata Aquinatis, sc. 51 *th.* II. II. 85. 3. ad 3; et ibidem 86, 1; vide ex. gr. Christianus Pesch. S. I. *Compendium theologiae dogmaticae*, Freiburg i. Br., 1914. IV, 123.

(*) Scheeben, l. c. 402, putasse videtur magistrum ibi de sacrificio pani> veteris Legis agere. Melchior Canus, De Lugo, Götzmann, citati apud Kramp. illa verba de pane eucharistico inteiligunt; item M. Lepin, *L'idée du sacrifice de la Messe d'après les théologiens depuis l'origine jusqu'à nos jours*. Paris, 1926, 193s; item A. Michel, *Dictionnaire de théologie catholique*, Paris, 1928. Vol. X, art. *Messe*, col. 1062; item Placidus Rupprecht, O. S. B.. *Der Mittler und sein Heilswerk, sacrificium mediatoris*, Freiburg i. Br., 1934, 85. — Kramp. l. c. 37. de quo sacrificio agatur vix decidi posse arbitratur, quoniam in textu ad id media non inveniantur. Utamque opinionem suas rationes habere, atque S. Thomam forsitan utramque comprehendere velle. Hoc unum certum videri tria verba *frangitur, comeditur benedicitur* non eodem modo ad unum pertinere ac duo illa *occidebantur et comburebantur*, quoniam secus ordo inversus exspectaretur: benedicitur, frangitur, comeditur. Ideo animum suum opinioni favere, ut priora duo verba ad sacrificium mosaicum, tertium *benedicitur* seu consecratur ad eucharisticum

ex hoc quod homo facit aliquid sacrum (1). Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat, sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari (2), circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur » (3).

*i. In his magister sacrificium non proprie definivit, sed normam generalem statuit secundum quam sacrificia ab oblatiis dignoscantur. Oblatio est genus; sacrificium species; atque huius proprium est ut « circa rem oblatam aliquid fiat ». Hoc ab auctore probatur per etymologiam sacrificii quod secundum vim verbi significat *facere aliquid, sacrum, vel factionem suri*. Sacra autem vocantur ea quae *ad cultum Dei destinata**

referantur. — Verumtamen per hanc hypothesim Aquinatem tempora verborum tam arbitrarie posuisse supponitur quam apud puerum scribere incipientem haud toleraretur. Ordo trium verborum, si omnia ad s. Eucharistiam referuntur, bene explicatur, uti infra dicitur. Post tempora praeterita vero « occidebantur et comburebantur », quae evidenter de ritu antiquae Legis agunt, tempora praesentia, « frangitur, comeditur, benedicitur » quae immediate post illa sequuntur, ritum actualem respicere debent; cf. Lepin. l. c. 193 s.

‡ Haec explicatio etymologica sacrificii ad definitionem S. Isidori apud scholasticos celeberrimam alludit: *Sacrificium dictum quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis dominicae passionis. Etymologiarum libri XX, I. VI de libris et officiis ecclesiasticis, c. 19 de officiis, n. 38; iMigne, PL. 82, 255.*

(2) Lepin, l. c. 194. *Panes in altari* ad panes propositionis antiquae Legis referre videtur. Sed S. Thomas evidenter ad antiquam consuetudinem alludit, secundum quam inter sollemnia ecclesiastica panes aliaque « in altari », vel in ecclesia offerebantur, ut vel ad mensam eucharisticam faciendam, vel ad Ecclesiae ministros sustentandos, vel ad pauperes iuvandos applicarentur. Cf. Ludovicus Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, Venetiis, 1766, t. 3, l. 1. cc. 2-3, et praesertim cc. 12-15 de oblationibus, p. 34 ss; — item Lucius Ferraris, *Prompta Bibliotheca canonica, iuridica, moralis, theologica, necnon ascetica, polemica, rubristica, historica*, Lutetiae Parisiorum, 1854, art. *Oblatio*, V. coi. 1413 ss.

(3) 5. *th.*, II, II, 85, 3, ad 3. — Cf. in Ps. 39, η. 4: « Omne sacrificium est oblatio, sed non omnis oblatio est sacrificium, quia sacrificium importat factionem sacri. Unde, cum in oblatione nihil est aliud nisi quod in usum sacerdotis venit, est pura oblatio; quando aliquid aliud fit (al. fiebat) inde, puta quod comburebatur, tum vocabatur sacrificium ». *Opera omnia*, Parmae, 1852, ss., XIV. 302.

sunt, vel *immediatum respectum ad cultum Dei habent*; et dividuntur in sacrificia, sacramenta et sacra sensu stricto. Hic evidenter nomen commune *sacri* pro sacrificio porfitur et prima propositio ita verti potest: Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit quod sacrum fieri indicat.

Quid haec sibi volunt? Recentiores theologi communiter arbitrantur magistrum ibi naturam sacrificii determinare, atque hoc eius proprium et distinctivum esse dici, quod in oblatione sacrificali res oblata physice immutetur vel immoletur, vel quod per ipsam immutationem physicam oblatio fiat sacrificialis (2). Hoc ex ipso textu inferre conantur: sacrificare idem esse dicitur quod facere aliquid sacrum; hoc idem quod facere aliquid circa rem oblata; hoc idem quod in sacrificio occidere et comburere animalia, vel frangere, comedere et benedicere panes oblatos, — seu generatim idem quod res oblatas immolare vel physice immutare; — ergo sacrificare idem esse dicitur quod hostiam vel victimam physice immutare.

Verumtamen haec illatio non tam certa est quam videtur; atque captio eius in secundo membro soritae latet; Facere aliquid sacrum non idem esse dicitur quod lacere aliquid circa rem oblatam. Error argumenti clare patescit, simulatque secundum exemplum allatum recte inspicitur. Fractio, comestio, et benedictio, seu consecratio panis. — numquid per eas in Eucharistia res oblatas dicere licet physice immutari, aut per illas actiones oblationem fieri sacrificalem? Priores duae actiones certe fiunt, postquam sacrificatio eucharistica perfecta est, atque ad solas species referuntur.

(*) *V. th.*, I. II, 101, 4, ad 3: < Etiam sacrificium et sacramenta erant sacra; sed quaedam erant quae erant sacra, ntpote ad cultum Dei dicata, nec tamen erant sacrificia nec sacramenta, et ideo retinebant sibi nomen commune sacrorum ». Ibidem ad 4: < Observantiae non oicebatur sacra, quia non habebant immediatum respectum ad cultum Dei ».

(a) Cum rem sensibilem in sacrificio per se offerri dicant, patet est ut hanc materialiter immutandam esse censeant. Verumtamen antecedentem scholastici atque Aquinas non concedunt. Ceterum de ratione immut. v. *er* et eius ad oblationem relatione alii aliter disputant, quod hic recensere onungum est. Cf. Josef Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*. Paderborn, 191c, III, SiOss[^] Thomas Specht, *Lehrbuch der Dogmatik*. Regensburg. 1912. il. 2¹ ss.

non ad ipsam victimam. Ergo per eas evidenter nullo modo sacrificatur (*). Benedictio vero, seu consecratio eucharistica divinam victimam producit, non mutat, neque ullo modo physice tangit, quapropter immolatio sensu proprio dici nequit †. Si vero aliquis (3) per eam panes materiales in actu transubstantiationis physice immutari dicere velit, illos in Eucharistia oblata directe, seu vere sacrificalia appellare nefas est (4). Si ergo interpretatio recentiorum ad sacrificium eucharisticum applicata evidenter falsa esse demonstratur, cogitatio Aquinatis alia esse debet.

2. Omnes mirari solent(5) ambiguitatem locutionis. < *Quin do circa res oídas cdi quid fit. sicut quod etc* > Iit vere, si

(*) Hoc Rupprecht, l. c. 85, concedit; sed rationem sibi reddere non conatur quomodo ab Aquinate inter « partes sacrae actionis sacrificalis » recenseri videantur.

(†) Etiam S. Thomas in S. Eucharistia Christum solum improprie immolari docet; cf. § *th.*, III, 83, 1.

(3) Cf. Lepin, l. c. 722. Theologis ibi citatis accenseantur Kramp, l. c. 60; et Rupprecht. l. c. 85.

(4) Kramp, l. c. actum oblationis sacrificalis in liturgia romana incipere dicit ab offertorio, et paulatim evolvi, p. 70 et 80; et quum dona materialia, panem et vinum, tum dona consecrata, id est, Christum passum, munera vere sacrificalia esse quae Deo offerantur, p. 60, illa inchoativa, haec definitiva, p. 80, quoniam in orationibus liturgicis panis et vinum non aliter atque ipse Dominus offerri dicantur sine ulla restrictione, p. 61. — Verumtamen restrictiones in oratione sollemni credo recte omitti, ubi, propter spiritualitatem actus proprie sacrificalis omnibus notam, per se intellegantur. Illam interpretationem nulli theologo umquam in mentem venisse opinor, antequam recentioribus temporibus asserere coeperint res sensibiles in sacrificio per se Deo offerri. Deinde perpendatur oportet num logice fieri possit, ut duo obiecta omnino diversa successive vere sacrificaliter offerantur, et tamen duos actus oblationis non constituent, quoniam actus natura liter numerantur secundum obiecta intenta. Certum vero est ab Aquinatis cogitatione illam interpretationem alienam esse. Hic: 1) S. Eucharistiae rationem sacrificii ex eo solum vindicat quod passionem Domini repraesentat § *th.*, IU, 73, 4, ad 3; 79, 7 c: — 2) eam offerri docet in consecratione: S. *th.*, III, 82, 10c et ad 1; — 3) panem et vinum tantum abest ut oblata vere sacrificalia consideret, ut eis solum rationem signorum tribuat: § *th.*, III, 73, 6c; — 4) actum sacrificalem in se spiritualem habet, propter quod fieri nunquam potuit, ut res materiales eius obiecta directa esse censeret.

C) Lepin, l. c. 193.

auctor dicere voluit per immolationem materialem rem oblatam sacrificium fieri, verbis minus aptis vix uti potuit Verum tamen, si textum recte inspicias, non legitur «sacrificia proprie fiunt», vel similiter, sed «dicuntur» neque legitur « per hoc quod circa rem oblatam aliquid fit», sed «quando aliquid fit». Haec bene notanda sunt. *Quando* est particula temporalis, et circumstantiam inducit qua existente aliquid succedat. In textu actiones quae exempli causa citantur, — occidere et comburere animalia, frangere, comedere et benedicere panes oblatos, — non causae esse asseruntur ut res oblata sacrificium fiat, sed sunt circumstantiae quibus praesentibus, vel quibus visis, res oblatae sacrificia dicuntur, seu indicentur, vel censeantur. Non de causis essendi agitur, sed de causis cognoscendi et dignoscendi sacrificii. Illae actiones immolationis non faciunt, sed ostendunt sacrificium; atque, secundum mentem scholasticorum, logice non sunt proprie actiones, sed solum externa signa, seu formae expressivae in quibus immolatio spiritualiter facienda extrinsecus ostendatur Nam ipsum sacrificium illi in se actum spirituales indicant, uti dictum est.

Medii aevi theologi non quaerebant quid externorum sacrificium faceret, vel constitueret, sed quid eorum sacrificium significaret et ostenderet † Nam omne formaliter constitutum eius ab internis repetebant, quod externa sibi per modum materiae assumeret, ut in iis ageretur et significaretur Neque unquam illi proprietatem specificativam alicuius rei in materia reponerent, quippe quod omne ens actu constituatur et specificetur per internam formam (2b)

Quoad s. Eucharistiam, omnes illi theologi (3) et specialiter S. Thomas (4) profitebantur sacrificium proprie fieri in consecratione per oblationem passionis Domini. De hoc nihil

(¹) 0'. III., II, II, 85. 2: « Olatio sacrificii fit ad significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium quo anima se ipsam offert Deo ». Cf. C. Gent. III, 120.

(²) 6 III., HI, 74, 4: « Determinatio cuiuslibet rei in esse actuali est per eius formam ».

(³) Lopin, I. c. 129 ss.

(⁴) V. IA, III, 73. 4, ad 3; 82, 10. Cf. Lepin, I. c. 205 ss

dubitabatur. De ritu vero, in quo Christi immolatio eucharistica significaretur, et oblatio ut sacrificialis ostenderetur, opiniones aliquando variabant. Antiquiores illius aetatis theologi pleriquefl) eam repraesentatam videbant in ritibus communionis. quando panes consecrati ante distributionem **frangerentur**, quando **comederentur** et vinum eucharisticum in ora fidelium effunderetur. Alii pauci (2) etiam in fractione specierum, quando super calice in tres partes dividerentur, signum immolationis recognoscebant. Alexander Halensis (3) denique eam praecipue significatam esse putabat in distincta consecratione et oblatione calicis, qua sanguis a corpore quasi separatus existere videretur. Hanc opinionem etiam Angelicus adoptavit, licet aliquando, sicut doctores anteriores. alia quoque signa immolationis allegare non omittat (4). Ad has opinionum varietates magister in textu evidenter alludit, atque per fractionis, comestionis et benedictionis ritus in Eucharistia sacrificeationem non fieri, sed significari et ostendi affirmat. Ex hoc etiam intelligitur quare *benedicitur* ultimo loco ponatur. Priora duo signa quasi minoris ponderis primo loco allegantur: et deinde distincta consecratio sanguinis, quae omnibus aliis signis ab Aquinate praefertur, praecipue enuntiatur.

Quod ita de sacrificio eucharistico ex contextu certo cognoscitur. viam aperit, ut etiam ea quae de sacrificio cruento dicuntur, recte intellegantur. Occisio animalium et combustio carniarum non citantur ut actiones quibus sacrificium in se fiat, aut quibus in se ab aliis oblatiis distinguatur, sed ut signa quibus in victima sacrificeationem fieri conspiciatur. Id quo oblatio fit sacrificialis, non est quidquam externum, sed internum. quod tamen in externis ritibus directe agitur et signifi-

(¹) Lepin, l. c. 113 ss.

(²) Ex. gratia Ivo Carnotensis et Petrus Lombardos; cf. Lepin, l. c. 117 s. et 154.

(³) Lepin, l. c. 166 sq.

(⁴) *In Ep. I ad Cor. XI*, lect. 5: « Est memoriale dominicae passionis per quam sanguis fuit separatus a corpore; et ideo in hoc sacramento seorsum offertur sanguis a corpore». Item *5. th.*, III, 74, 7, ad 2; 78. 3, ad 2; 80, 12. ad 3; 83, 2, ad 2; *C. Gent.* IV, 61. Cf. Rupprecht, l. c. 109 ss.

catur. Occisio et combustio victimae quae materialiter oblationem externam praeparant, formaliter eam intrinsecus fieri ostendunt. Ideo, ubi in aliqua re oblata inveniuntur, ibi sacrificium fieri per eas cognoscitur.

Itaque, ut dicta resumam, in illo effato S. Thomas non docet oblationem sacrificalem fieri per physicam immutationem rei oblatae, aut in ea sacrificium proprie perfici et specificari, sed rem oblatam ut sacrificatam cognosci per signa immolationis.

III.

In primo articulo quaestionis 86 S. Thomas, quaerens an omnes homines ex praecepto ad oblationes faciendas teneantur, differentiam inter oblata et sacrificium iterum definit: *Respondeo dicendum quod, sicut dictum est, nomen oblationis commune est ad omnes res quae in cultum Dei exhibentur, ita quod si aliquid exhibeatur in cultum divinum quasi in aliud quod sacrum quod inde fieri debeat, consumendum, et oblatio est et sacrificium... Si vero sic exhibeatur ut integrum maneat divino cultui deputandum, vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium.*

i. Hoc effatum forma simile est priori, sed sententia ab eo differt. In illo sacrificium cognosci et ab oblatis distingu dicitur per signa immolationis; hic ipsa natura sacrificii et interna eius ab oblatis differentia considerantur. Atque in eo vis ponitur quod res oblata, ut sacrificium fiat, in se mutetur, quod desinat esse quod erat, ut sacrum esse incipiat. Haec mutatio sacrificialis evidenter declaratur: *ci)* per oppositionem sacrificii ad oblata quae **integra manent, et integra ad finem suum destinantur**; — *b)* per locutionem *sacrum quod inde fieri debeat*, — qua rei oblatae ab uno statu essendi ad alterum transitus exprimitur; — *c)* denique per verbum *consumendi*, quod secundum contextum certe aliquam alterationem significat, qua res oblata suum esse proprium amittat et ad aliud producendum applicetur. Hoc novum quod producitur, *sacrum* vocatur, id est, aliquid quod *immo-*

diatum respectum ad cultum Dei inôet, seu sacrificium, uti dictum est.

2. *Quaeritur igitur qualem mutationem sacrificalem rei oblatae magister intellegat. — lam illos theologos qui in priore effato immolationem physicam proprietatem distinctivam et specificativam sacrificii appellari affirmant, hic eandem ideam expressam videre, per se intellegitur. Utrumque dictum eandem sententiam habere volunt, et unum per alterum explicari (9). Verbum consumendi materialiter accipiunt, subijcientes ei vel significationem immutandi, vel destruendi, quia in materiali immutatione, vel etiam destructione rei oblatae sacrificium conficiatur, — vel significationem perficiendi, quia per sublimationem materiae res oblata in altiorem statum essendi transferatur. Utrique autem in immolatione rem sensibilem oblatam dicunt Deo sacram fieri, et tradi in signum internae hominis ad Deum consecrationis et oblationis.*

Verumtamen utrumque effatum idem dicere admitti nequit: neque per hoc probatur quod in initio posterioris lector expresse ad prius reiicitur: *sicut dictum est.* Per hoc solum in memoriam revocatur nomen oblationis sacrificiis et oblatiis commune esse, et nihil amplius. Et certe inde non inferitur per ea quae sequantur, eadem repeti quae antea dicta sint. Hoc a priori haud probabile est, quoniam cum concisa brevitate magistri non congruit ut duobus locis quasi continuatis bis idem exponat. Et profecto scopus eius in utroque verbo diversus est. In priore quaeritur quomodo sacrificium ab oblatiis dignoscatur, in posteriore quid utraque sint in se: in illo agitur de externa cognoscibilitate, hic ipsa natura utriusque indicatur.

lam naturam sacrificii per immutationem physicam rei

(⁹) Lepin, hoc cum priore effato comparans, dicit *une nouvelle définition, différente dans la forme, mais au fond de portée semblable*, l. c. 195; *au fond la nouvelle définition revient à la précédente, en la particularisant, et en la précisant*; l. c. 207. Et Kramp sententiam prioris arbitratur verbis paululum differentibus iterum exprimi. *Si sententia textus dubia esset, secundum quaestionem 85 ad quam lector expresse reiicitur, explicari deberet; sed in se omnino clara est*; l. c. 35.

oblatae, id est, per accidens quoddam externum et materiale determinari a cogitatione scholasticorum abhorret qui omne esse et omnem specificationem rei ab internis repetebant, sicut dictum est, et maxime ab Aquinatis sententia alienissimum est, quippe qui sacrificium in se actum spirituale esse doceat.

3. Deinde per illam interpretationem differentia inter sacrificium et oblata tollitur. S. Thomam. cum illud elicitive. haec imperative a religione procedere asserat, evidenter distinctionem essentialem sustentare supra ostendi. Illud in se opus spirituale est; haec in se materialia sunt: atque eorum relatio ad Deum diversa est secundum rationem suae naturae. Quoniam hanc distinctionem Aquinatis non vidit, Kramp eum docere arbitratur utraque eiusdem naturae esse, atque unicam differentiam eorum in modo oblationis consistere ('). Haec ex praemissis recentiorum recte inferuntur, sed cum propositionibus magistri non concordant, uti supra ostensum est. Si vero ad istam circumstantiam accidentalem tota differentia reducatur, ad quid tantum iactatur singularis excellentia sacrificii. — quippe quod *plenissima expressio internae adorationis*, — *actus perfectissimus, sublimissimus, solemtissimus, summus actus cultus Dei*, — et *exercitium fundamentale et centrale religionis*, — *pretiosius quam oratio omnisque actus pietatis* esse dicatur (2), — ad quid, inquam, tanta iactantia. si sacrificium cuilibet oblationi in actus natura, fine et significatione par idemque existit. et tota eius proprietates ad aliquos ritus et caeremonias pertinet? Parturiunt montes...

Excellentia religiosi exercitii certe ex ipsius actus sanctitate et fine operis determinanda est. Et maxime sub hac ratione sacrificium, prout a recentioribus adstruitur. a simplici oblatione nihil differt. Actus in se materialis manet, et solum indirecte ad Deum dirigitur sicut in oblatiis. Quomodocumque res materialis immutatur, et quomodocumque offertur, hoc

(') Kramp, l. c. 20.

(a) Ita de sacrificio in genere loquitur Nicolaus Gühr. *Paß der .Vrsay/r/dogmatisch, liurgisch und aszetisch erklärt*, Freiburg i Br.. 1897. **Mi**

rei materialis essentiale est ut solum per externam relationem ad Deum *ordinetur*, et solum per externam denominationem sanctificetur, et solum indirecte Deo tradatur. Quodsi supra hos limites naturales elevanda, et in se sanctificanda, et proprie *Deo consecranda est*, suum esse proprium materiale amittat, et spiritualis naturae fiat necesse est (').

Ceterum etiam simpliciter oblata nihil prohibet ne in Deo colendo physice immutentur. Hoc in oleo clare conspicitur quo lampades coram Sanctissimo nutriuntur, vel in cereis qui, devotionis causa accensi, materialiter dissolvuntur. *Imo* incensa, quae in antiquo templo insigne sacrificium constituebant, in nostris Ecclesiis cremata oblatio esse censentur, licet in utroque casu eadem immutatio physica inveniatur. Haec igitur per se proprietates specificae oblationis sacrificialis esse nequit. Respondebunt forsitan immutationem physicam non materialiter, sed formaliter intelligendam esse, quatenus per auctoritatem quae sacrificia instituerit, ad hoc ordinata sit (2). Verumtamen institutio illa auctoritativa. si de sacrificio in genere agitur, maxime dubia est. Et si quando per auctoritatem competentem res oblata in sacrificio immolari iubeatur. per hoc proprie actus in se non determinaretur, quoniam illa causa externa est quae eius naturam nihil mutaret. S. Thomas certe in natura sacrificii definienda illam institutionem omnino neglegit, ut in solas causas internas inquiret. Et recte quidem, quoniam actus ab internis specificetur necesse est (3).

4. Illa mutatio sacrificialis rei oblatae qualis intelligenda sit, e termino *actus elicitus religionis* eruendum est, quo S. Tho-

f) 5. *th.*, I, II, 102, c: «Nulla res potest agere ultra suam speciem».

(2) «Haec eadem mutatio rei oblatae, quatenus fit ex institutione divina et ad divinam excellentiam significandam, consecratio dicitur, quia ut sic est quid sacrum; unde per eam sacratur, seu sacra efficitur res illa quae sic mutatur»; Suarez, *Opera omnia*, Paris, 1856, XXI, 615. Cf. Ferdinandus Al. Stentrup, S. I., *Sokriologia*, Oeniponte, 1889, 225 ss.

(3) 5. *th.*, II, II, 99, 2: «Species cuiuslibet rei praecipue attenditur secundum rationem formalem ipsius, non autem secundum materiam vel subiectum».

inam naturam sacrificii definivisse supra ostendi Qui cum directe a facultate spirituali fiat, atque directe in finem spiritualem dirigatur, in se spiritualis est, atque materialia quae in eum assumuntur, spirituales naturam participant. Hoc non physice, sed moraliter fit, atque eiusmodi est t externa iam non secundum suum esse materiale, sed ut materiae formae repraesentativae considerentur, in quibus spiritus vivat et operetur. Ideo res sensibilis non per se sacrificatur Recte S. Gregorius Magnus: *in lege etiam per carnale sacrificium, inquit, quid aliud populus nisi devotionem sui cordis immolabat* †. Obiectum directum sacrificii ipse homo est et dono materiali solum ratio formae, seu signi congruit in quo ille se offerat (2). Atque omnia quae circa formam ma

»--

† *In Ezech.*, I. 2, hom. 9; *Opera omnia*, Venetiis, 1744, t. 1, coi. 8

Cf. S. Augustinum, *De Civ. Dei*, l. 10, c. 5; Migne, PL. 41, 282.

(.) Hinc cum Aquinatis propositionibus non convenit quod communiter docent donum materiale symbolice loco hominis sacrificari, — cf. p. 110, notam 4 — et praesertim in sacrificio propitiatorio victimam symbolice poenas luere quas homo meruerit; cf. Franzelin, l. c. 291 ss; Stentrup, l. c. 220ss; Pohle, l. c. 322; Gühr, l. c. 10; Specht, l. c. 290, et alii. — Rupprecht, l. c. 87 concedit illam *interpretationem communiter acceptam apud S. Thomam non inveniri, saltem non directe*. Sed eam indirecte derivare arbitratur ex illo dicto: *Per occisionem animalium significatur destructio peccatorum, et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum acciderentur ad significandam expiationem peccatorum*; S. th., I, II. 102, ad 5. Per hoc Aquinatem docere asserit hominem per vicariam expiationem culpa liberari. — Verumtamen, sicut ex thesi articuli citati, et quinta objectione ad quam respondit, apparet, magister solum «convenientem rationem» affert cur animalia occisa et non viva offerantur, licet Deus sit auctor vitae. Et prima eius ratio est, «quod etiam in usum hominis animalia veniunt occisa et per ignem decocta, ut fiant apta humano esui»; haec in omni sacrificio cruento valet. Secunda, quae supra citata est, ad expiatorium spectat, et ea est quod homo peccator, in occisione animalium, finem in sacrificio intentum quae est destructio peccati, et confessionem pro delicto suo se morte dignum esse, ostendat. Sed in particula «ac si» cum coniunctivo irreali occiderentur ad significandam satis declaratur victimam non vere loco hominis occidi, sed hunc in symbolo victimae se ipsum occidere. ut suam contritionem et expiandae culpae voluntatem manifestet. Itaque de solo ritu et eius significatione agitur, quales intentiones et affectus animi in eo exprimentur. Quomodo in se expiatio fiat nihil insinuatur, nisi quod homo se reum cognoscat et remissionem delicti a divina misericordia petat. Ceterum ne verba magistri ex contextu sententiarum eius avulsa considerentur.

terialelem fiunt, non per se efficiuntur, sed mera signa eorum reputantur quae spiritus in iis agat et ostendat. Utrum inter ea donum externum etiam physice immutetur necne, ad essentialiam sacrificii nihil pertinet, sed quaestio ritualis est. Veteris Legis sacrificia generatim de facto etiam materialiter immolabantur, licet de panibus propositionis (1), et de uno ex duobus hircis in die expiationis pro peccatis populi oblati (2), necnon de sacrificio Melchisedech (3) recte dubitari queat, an vere physice immolata esse dicenda sint (4). In mysterio eucharistico vero victima divina certe non vere immolatur, seu immutatur, sed solum in signis immolationis offertur. Sed per hoc quod res materialis cum homine vere unum moraliter obiectum oblationis efficitur, vere in se sanctificatur, et vere et proprie Deo donatur, — in se, inquam, sed per spiritum qui in ea se Deo offert. Nam secundarium elementum alicuius entis id quod est principale, sequitur, et sicut ab eo naturam, ita etiam dignitatem et finem moralem participat.

Per hanc mutationem moralem doni sensibilis sacrificium

sed semper ante oculos habeatur oportet actum sacrificialem in se spiritualem esse, et rem sensibilem solum signum haberi. — Ideo etiam haud recte donum externum *munus honorarium* appellant quod Deo offeratur: Scheeben, l. c. 394; Kramp, l. c. 24; Nicolaus Gühr, *Die hl. Sakramente der katholischen Kirche*, Freiburg i. Br., 1902, I, 582. Per istam locutionem rei sensibili quoddam esse proprium materiale attribui videtur quod ei ut mero signo non convenit Ad eam probandam aliquando ipsius Aquinatis auctoritas adhibetur qui in 5. M., II, II, 85, 1, quaerens an oblatio sacrificii in lege naturae posita sit, affirmat: *Ex rationali natura procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subtectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad ius naturale.* Sed similitudo sacrificium offerentium cum iis qui dominos suos per honoraria colunt, ne plus aequo extendatur. S. Thomas aequalitatem in eo solum videt quod utrique rationali natura duce superioris excellentiam recognoscant, atque interna reverentiae actus per rerum sensibilium oblationem ostendant. De interna vero actu et donorum natura ibi nihil asseritur.

(1) Lev. 24, 5 ss.

(2) Lev. 16, 6 ss.

(3) Gen. 14, 18ss.

(4) Quomodo etiam in istis sacrificiis immolationem vere factam esse defendant, videsis Franzelin, l. c. 295; Stentrup, l. c. 231 sq.

externum intrinsicus et essentialiter ab oblati differt Haec enim moraliter *integra manent*, licet aliquando in Deo colendo physice destruantur, uti dictum est. Nam in iis esse materiale in se intenditur, et in se ad Deum colendum extrinsecus applicatur, quoniam finis operis materialis ad effectum ducitur ut per eum finis Deum colentis extrinsecus obtineatur. Itaque ipsum esse materiale eorum medium est quo Deus colitur-Virtus religionis opus materiale imperat, ut per hoc actus cultus spiritualis exprimat et ostendatur.

Hanc internam differentiam qua sacrificium externum specificè ab oblatione distinguitur, supra ad brevem formulam reduxi, ut hanc rem et signum indirectum, illud solum signum directum divini cultus esse dicerem.

5. Si denique quaeritur quid causaliter actum sacrificalem ab actu oblationis distinguat, hoc evidenter penes voluntatem agentis est, qui, supposita materia idonea, eandem rem sensibilem vel ad sacrificium, vel ad simplicem oblationem applicare potest. Ita facile intellegitur quomodo incensum crematum in ritu mosaico sacrificium fuerit, in christiano vero simplex oblatio sit. Ipsius hominis est determinare utrum internum actum reverentiae Dei extrinsecus mediate per rem et actum materiales, an immediate in signis rei et actus materialium ostendere velit Hanc libertatem naturalem hominis per auctoritatem divinam aliquando restringi posse, per se intellegitur. Ideo postquam in ss. Eucharistia Dominus divinisimum sacrificium instituit, sacrificia materialia hodie communiter illicita esse putantur. Immo S. Thomas thesim generalem defendit, **circumcidi et alias caeremonias — mosaicas, ad quas etiam sacrificia pertinent. — observare post passionem Christi peccatum mortale esse**, quoniam, cum illa in se protestationes fidei in Christum venturum fuerint, postquam Dominus venit, eorum observatio quasi fidei negationem importet (1). Verumtamen etiam post passionem Salvatoris Apostoli legem caeremonialem observarunt, et sacrificia materialia in templo obtulerunt (2) Hoc

(1) 3*. *th.*, 1, II, 103, 4.

(2) *Aci.* 2, 46 ; 3, 1 ss ; 5, 13 ; 11, 8 ; 16, 3 ; 18, 18 ; 21, 21 ss.

factum iam S. Hieronymi et S. Augustini ingenia torquebat (*). *Sed de eo hic agendum non est.*

Quod mihi in animo erat, ostendisse videor. S. Thomani inter sacrificia et oblata distinctionem essentialem statuere, atque ipsum actum sacrificalem externum in se spirituales iudicare; quapropter veritati historicae non congruere quod recentiores theologi suas opiniones cum eius auctoritate tueri conentur.

P. Damians Klein, () 18 M.

(*) *Vide S. Augustini. Epistolam ad S. Hieronymum, Aligne, PL. 41, 282.*

QUID DOCEAT S. SCRIPTURA

utriusque Testamenti de indole historica
narrationis de paradiso et lapsu, Gen. 2-3.

Hisce praesertim temporibus permulta quae indolem historicam libri Genesis et imprimis priorum capitum respiciunt tum in commentariis libri Genesis tum in inquisitionibus specialibus ab adversariis et defensoribus indolis historicae eiusdem libri conscripta sunt, ita ut primo aspectu superfluum videretur rem denuo quovis modo tractandam suscipere. Auctores complures ¶ qui praesertim de 2. et 3. cap Genesis agunt, multum insistunt in iis, quae historia religionum comparativa docet, seu a. V. in iis narrationibus vel doctrinis similibus, quae apud alios populos hac de re inveniuntur. Alii (2) tractantes de indole historica trium priorum capitum Genesis argumentum generatim ex indole et forma historica libri Genesis, ex peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, ex multiplici testimonio Scripturarum tum Veteris tum Novi Testamenti, ex unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditional! sensu, quem ab israelitico etiam populo transmissum semper tenuit Ecclesia, desumunt. Ipsa Pont.

(¹) V. g. inter catholicos: Joseph Feldmann, *Paradies und Sündenfall* (*Alttestam. Abhandlungen*, herausgegeben von Joh. Nibel. 4. Band). Munster i. W. 1913. — Joh. Nibel, *Der geschichtliche Charakter von Gen. 1-3* (*iiAde-nauer 5/tidien*, III, 1-75), Wien 1909. — K. Fruhstorfer, *Die Paradieses-Sindt*. Linz a. D. 1929.

(²) L. Méchineau S. J., *L'historicité des trois premiers chapitres de l'Écriture* (*Genèse*, Rome 1910. — Giov. Giac. Cereseto, *Storicità dei primi tre cap: della Genesi*, Genova 1914. — M. Sales O. P., *La Sacra Bibbia. I! Vecchio Testamento*, vol. I. Genesi-Esodo-Levitico, Torino 1919, 57-59. — A. Bea S. J., *De Pentateucho* (*Institutiones biblicae*, II. 1), Romae 1933, 160-167.